Reuerendo in Christo patri ac domino
Domino Nicolao Amsdorfio Ecclesiae
Numburgensis Episcopo domino
obseruando suo

G. et P. a deo patre et domino nostro Jhesu
Christo. Ex quo Illustriss. Princeps noster
in miserrimam illam calamitatem incidit
Reuerende D. tuo similiter dolorem et luctum
acerbissimum mihi auxit, quod quid nunc
tibi accidisset, ut nihil audiebam, ita uereri
me metuebam. Etsi e contra ~~mihi~~ perspecta
mihi animi tui constantia et spiritus robur
sanctum mihi spem confirmarunt, ut sentirem
te per dei gratiam aduersa quaelibet, nedum per-
laturum pacienter, sed et superaturum fortiter.
Exhilarauit ergo animum meum valde Iustinus
noster, qui victoria hac uniuersum nunciauit te
salutem adhuc et incolumem manere, officium
tuum facere, id quod etsi quam notissimum tibi sit
non ignorem, gaudeo tamen te consolatorem lenire
dolorem dominae et sancti principis filiis, quos
quantos in tam horrendis grauaminis sustinere
quis dixerit? Oro itaque deum aeternum patrem

domini nostri Jhesu Christi, ut spiritu sancto
suo vos confirmet, nec ullis frangi adversitatibus
fidem vestram, quae in Christo Jhesu est permittat,
sed in infirmitate vestra virtutem suam in
gloriam nominis sui potenter declaret. Amen.

Reliquum est, ut mihi significet R. D. T.
an illos qui accessuri ad ministerium Ecclesi-
asticum ordinationem isthic petunt ad vos,
an vero alio, et quonam mitti debeant.
Bene et feliciter valeat R. D. T. Isenaci,
Sabbatho post Kiliani 1547.

R. D. T. ddo

Iusto Menio.

Venerando et doctiss. viro D. Iusto Menio Ecclesiae
Gothensis superattendenti amico ut fratri in domino
charissimo

S. De calamitate nostri Principis nec soleo quidquam
dicere vel scribere, renovantur enim semper
animi dolores, quoties cogito perfidiam illam
proditionem, qua sola in hanc miseriam con-
iectus est princeps optimus, non potentia Caesaris.
Vidi enim omnes sive milites et equites, ut satis
mirari non possim nostrorum perfidiam, fugam,

inscientiam. Dominus reddet illis pro-
ditoribus sua merita, id quod fiet certissime
suo tempore. Ipsi Hispani et Itali
clamant, dicunt, et cantant, hanc proditio-
nem, cum tamen sint hostes nostri laudant
supra modum nostrum Principem. Vituperant
Mauritium pessime et foedissime. Cum enim
Principem inspicerent solent Hispani dicere, O
vastum corpus, excelsus animus, Mauritius
Schelm, Schelm. De dolore internorum
principum nihil scio, nec unquam vel signum
et moeroris in illis vidi, vel audivi, ut
illorum lapideum, imo cor adamantinum
satis mirari non possum. Domina vero dolore
animi paene consumpta est et extincta.

\+ Consolantur tamen eos Hispani verbis ~~Hispanorum~~,
quae hic perscribuntur, quibus nos principi optima
promittunt, sed illorum verbis nihil credo.
Exitus enim in proximis Comitiis Augustanis celebrandis
ostendet veritatem, et omnia probabit. Timeo
enim valde, quod optimum Principem in manus
Papae tradet Caesar. Nam Monachi sic instant,
sic urgent, ut Caesar recusare non audeat, etiam si
velit, propter mandatum Papae. Deus misereatur
nostri. Amen.